

tetraphylla, uti ex inclusis colligas, cujus pulchrum possideo specimen.

Anne quidquam de insectis ediderit D. Scopoli, post editam Ent. carniolicam.

Anne posses scribere ad Legatum vestrum Holmiae degentem, quod exemplar Systematis ad Te mitteret.

His vale et fave.

Dabam Upsaliae 1767, d. 26. Januarii.

35.

Viro amplissimo Nobilissimoque D^{no} Nic. Jacquinio
s. pl. d. Car. v. Linné.

Die 1. Maji Tuas habui datas die 4. Aprilis, refertas multa eruditione pulcherrimisque observationibus, pro quibus debitas persolvo.

De *Costo* et *Alpinia* Tua non disputabo; refert Tua figura multum *Costum*, quem vivum possideo; sed flores in Tua lutei, a mea diversi.

Diantherae genus fateor esse multum *Justiciis* affine. *Dianthera* prima a qua characterem mutuatus sum, facie multum differebat; posset forte et *Justicia* conjungi cum *Diantheris*, et *Barleria* cum *Ruellis*, et forte omnes quatuor simul, sed genus evaderet difficile et vastum.

In altero tomo systematis multas adjeci Tuas species, cum Tuam Historiam non haberem dum imprimebantur species. Mss. ante aliquot hebdomadas misi Holmiam ad Typographum, ubi jam sudare incepit.

Allegavi in eo varia Tua synonyma, et ex Historia et ex observationibus et ex Flora.

Cissi Tua synonyma allegavi.

Quaeso des bonam differentiam *Symphyti tuberosi*, cum illud non habeam.